



## **Svmma Juris Canonici**

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,  
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,  
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium  
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,  
discussa, & explicata

**Strein, Johann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1658**

CCXIX. Differentia 4. Iure civili quodcunque crimen capitale ad evitandam  
pœnam transactione finitur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

*Iure civili quodcumque crimen capitale ad evitandam poenam transactione finitur: l. Transigere, C. de transact. secus iure Canonico, tit. de Simon. & l. q. i. per tot. Decianus l. 2. c.*

22. n. 32.

**I.** **T**Ransactio est conventio, l. *Cum mota*, C. de transact. de re dubia, & lite pendente, l. 1. ff. de transact. non gratuita facta, l. 3. C. de repud. bared. Res igitur, quæ in transactionem veniunt, sunt lites indecisæ, & res dubiæ, vel quæ pro dubiis habentur, motæ, aut movendæ, l. 2. C. de transact. dubius litis eventus donec res iudicata sequatur, l. *Quod debetur*, ff. de pecul. l. 1. ff. de re iud. De omni crimine, pro quo mortis poena constituta est, transactio permittitur, l. *Transigere* 18. C. hoc tit. & l. *fin. ff. de procur.* Licet enim cuique quomodocumque sanguinem suum, & vitam redimere, l. *fin. C. de iud. l. 1. de in, qui mort. sibi consc.* absque præiudicio tamen reip. & publicorum iudiciorum. Excipitur adulterii crimen, vel quia olim poena mortis non puniebatur, vel quia periculum est, ne maritus lenocinii famâ se commaculet, V. *suprà different. XXXIX.*

II. Hæc legum indulgentia est honestati & bonis moribus consona, quam ideo sacri Canones minimè arguunt, sed eam, quæ de rebus spiritualibus fieret, transactionem interveniente aliquo temporali prohibent, c. *Constitutum*, c.

*Super eo, c. Præterea, de transact.* ut immoderate cupiditati & Simonæ aditus præcludatur. Gratuita tamen, & amicabile compositio de beneficio ecclesiastico permittitur, c. *Super eo, hoc tit.* quod observatu dignum est, quia per sæpe occurrit. Aliàs transigi super re sacra & litigiosa non potest, nam res sacræ ut possideantur, aliquo dato, retento, vel promisso speciem præ se fert Simonæ. Gratuitæ autem, & amicæ compositioni sacri Canones non obstant, De matrimonio quoque non licet transigere c. *fin. hoc tit.* nam si legitime semel contractum est, nunquam dissolvi potest: si verò illegitime, seu contra sacrorum Canonum præscriptum, reconciliari partium compositione nequit, c. *Non debet, de consang. & affin.* remissio offensæ tamen, & reconciliatio non prohibetur. Az. Alex. Panorm. Angel. Silv. in v. *Transactio*, Tholos. l. 28. c. 2. Alciat. in tit. de transact. Gaill. l. 2. obs. 70. Sanchez l. 10. de matrim. disp. 6. Esobar in Theol. mor. Tract. 6. Exam. 2. c. 4.

Et præ aliis multis Prosper Farinat. Part. 4. q. 142. n. 70. & seq.